



1567

1893

o. XVII, 291.

3

DISPVTA
TIO DE INVOCATIONE.

M. D. XLIX.

DE INVOCATIONE.

Semper orate, & non
defatigemini.

Philip. Melancthone Autore.

VVITEBERGÆ.



DISPV TATIO DE Inuocatione.

1. Necessè est extare in Ecclesia doctri-
nam de Inuocatione incorruptam, &
conspici discrimen inter inuocationem
Ethnicam & aliam Ecclesiæ propri-
am.

2. Discrimina autem duo sunt maxi-
me illustria, alterum de essentia, alte-
rum de uoluntate. Primum errant
Ethnici, Mahometistæ & alij multi ho-
stes Euangelij de essentia Dei, nec allo-
quuntur uerum Deum. Quanquam au-
tem dicunt sapientes Ethnici & Turci
unicū se conditorem & gubernatorem
huius uniuersi opificij Mundi alloqui,
tamen negant hunc esse cōditorem, qui
est Pater domini nostri Iesu Christi, ne-
gant esse filium ullum æterni patris, ne-
gant esse Spiritum sanctum. Denicq; nō
inuocant hunc uerum Deum, qui se pa-
tefecit misso filio, sed audacissime pin-
gunt

gunt in suis mentibus idolum Dei, qualem ipsi esse volunt. Et diuersissima simulacra pingunt Plato, Stoici, Mahomet, Heretici & alij impij.

3 At Ecclesia discipula Dei audit ex ipso Deo, qui sit uere Deus, & qualis sit, accipit doctrinam & promissiones ab ipso manifestis testimonijs, resuscitatione mortuorum & alijs miraculis traditas, & hunc uerum Deum alloquitur, ad hunc dirigit Inuocationem, qualem ipse fieri iussit, inuocat hunc uerum Deum, qui se patefecit misso filio, conditorem omnium rerum, colligentem sibi Ecclesiam æternam ex genere humano editis promissionib. scilicet æternum Patrem domini nostri Iesu Christi, & Iesum Christum filium λόγον καὶ εἰκόνα æterni patris, & Spiritū sanctum.

4 Deinde Ethnici, Mahometistæ, & omnes ignari Euangelij errant de uoluntate Dei. Accedunt ad Deum sine

A ſi Mediatore,

Mediatore, sine promissione, & manent in dubitatione, an recipiantur & an exaudiantur. Talis precatio contumeliosa est aduersus Deum & Mediatorem.

5 Econtra Ecclesia supplex intuetur Mediatorem & promissionem, & agit gratias Deo, quod immensa bonitate Mediatorem nobis constituit, & promissiones tradidit, & iureiurando adfirmat se certo nos recipere, inuocat igitur fiducia Mediatoris, sicut ipse docuit. Quidquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.

6 His discriminibus initio consideratis, in omni precatioe has quinque commonefactiones nobis proponamus.

7 Prima sit. Cogites, Quem uelis alloqui, quod sit illud numen quod alloqueris, ubi & quomodo se patefecerit, nec uagari mentem sinas, ut Hecuba in Tragoedia dicit. O Iuppiter quidquid es, siue

es, siue mens, siue ἀνάγκη φύσεως. Τα
xantur hæ dubitatiões in dicto Christi.
Vos adoratis quod nescitis.

8 Prophetæ & alij sancti in populo
discernebant suam Inuocationem ab
Ethnica his modis, addebant nomini
Dei aliud proprium Iehoua, Interdum
addebant Deus Abraham, Deus patrũ
nostrorum. Et in primo præcepto De
us ipse signum addit, quo uult agnosci
& discerni. Ego sum Dominus, qui e
duxi uos ex Aegypto etc. Sic uult a
gnosci Deus proposito testimonio, in
quo eius præsentia agnoscatur.

9 Et Patribus erat filius propositus in
promissiõe, & nobis iam exhibitus est.
Hunc intueamur resuscitantem mortu
os & agnoscamus simul Patrem, filium
& Spiritum sanctum, Et cum simul in
uocamus tres Personas, tamen agnosca
mus filium esse Mediatorem & Sacer
dotem pro nobis interpellantem. Hæc
non sunt pugnantia, alloqueris filium

A iij cum

10
cum patre & Spiritu sancto, ut socium
consilij diuinitatis, socium creationis &
uere Deum, & tamen propter hunc
ut Mediatorem, recipi te oras & cre-
dis, iuxta illud, Nemo uenit ad patrem,
nisi per filium. Item. Hæc est uita æter-
na, ut agnoscant te solum uerum Deum
& quem misisti Iesum esse Christum.

10 Non frustra facta est patefactio in
baptismo filij. Itaq; uelut spectator bap-
tismi illius stans in illa ipsa ripa Iordas-
nis in cœtu Angelorum & multorum
piorum, qui adfuerunt, uocem diuinam
cogitato discernentem Personas. Hic
est filius meus dilectus &c. Item uidit
Spiritus sanctum descendentem specie
columbæ.

11 Immo & tuum baptismum cogita-
to. In tuo baptismo facta est talis inuoc-
atio, quæ hunc uerum Deum discernit
ab omnibus commenticijs numinibus.
Ibi foedus factum est, ut hæc uera diui-
nitas te reciperet, & tu agnosceres &
inuo-

inuocares hunc Deum, qui est æternus
Pater domini nostri Iesu Christi, Con-
ditor cum filio & Spiritu sancto, ac re-
cipit te propter filium, & copulat te sibi
Spiritu suo sancto.

12 Simul etiam cogites, qualis sit di-
uinitas, sapiens, uerax, bona, benefica,
iusta, casta, liberrima, omnipotens, iu-
dicans. Et discrimina Personarum con-
sideres, & testimonia amoris Dei erga
nos, Pater Filius & Spiritus sanctus ita
condiderunt hominem, ut imaginem
sui in nos transfunderent, uere igitur
dilexit hoc opus diuinitas conditrix.
Filius amor lucet in deprecatione & pœ-
na pro nobis suscepta, Spiritus sancti
amorem fateri necesse est, cum in cor-
de tuo uelut in domicilio & templo suo
habitare uelit, ut te regat & flammam
inuocationis exuscitet.

13 Est autem Filius imago æterni pa-
tris cogitatione genita, & adsumpsit hu-
manam naturam in uirgine Maria, ut

A iiij pro

pro nobis uictima fieret, Hunc nobis
ostensum uult nos æternus Pater intus
eri & audire, Et scire hanc ueram esse
diuinitatem, quæ misit hanc uictimam.

14 Spiritus sanctus est agitator pro
cedens ab æterno patre & a filio, & mit
titur in corda credentium, ut lucem
ueræ agnitionis in mente & ueros mo
tus in uoluntate & corde accendat. Si
cut inquit Dominus. Et alium *παρακλη
τον* dabit uobis.

15 Hæ tres Personæ sunt *ὁμοῦσιοι*, nec
sunt plures, nec pauciores Personæ di
uinitatis.

16 Et Persona significat in Ecclesia hy
postasin intelligentem indiuiduam, &
incommunicabilem.

17 Veræ sunt propositiones filius est
de essentia patris, & filius est essentia
genita, Nec existimandum est illam co
æternam imaginem patris esse duas res,
imagi

imaginem & essentiam. Sed ipsa essentialis imago genita est filius, sicut in Symbolo dicitur, Deum de Deo, lumen de lumine.

18 Secunda commonefactio, Postq̄ cogitasti, Quid inuoces, & quem, & ubi patefactum alloquaris, In illis ipsis patefactionibus etiam cogitandum est, quomodo uelit coli Deus, & an & cur uelit exaudire. Mandatum igitur de inuocatione seuerissimum tibi proponito. Item promissiones.

19 Tertia cōmonefactio, Cum semper obstrepat accedentibus ad Deum indignitas nostra, necesse est in omni precatione, doctrinam pœnitentiæ & consolationem cogitari. Cor expauescat agnitione iudicij & iræ Dei aduersus peccata, & rursus erigatur ardentí fide ac fiducia Mediatoris, & statuas, te certo recipi gratis propter filium Dei, non propter propriam dignitatem, aut tuas uirtutes, aut tuas actiones, Nec lucta hac sine

A v ueris

ueris gemitibus fieri potest. Necesse
est enim adferri ad Deum cōuersionem
& fidem, Nec ualet inuocatio retinen-
tis propositum uiolandi mandatum Dei
contra conscientiam. De his dicitur,
Peccatores Deus non exaudit.

20 Sed in conuersione primum & pe-
tito remissionem, & statuas certo tibi
eam donari, iuxta illud, Iustus fide sua
uiuēt. Item, Viuo ego dicit Dominus,
nolo mortem peccatoris, sed ut conuer-
tatur & uiuat. Scias autem certo man-
datum Dei esse, ut promissioni gratiæ
credas, quæ quidem & iuramento &
sanguine filij confirmata est. Deinde
fides etiam statuat exaudiri petitionem
bonorum corporalium, & nunq̄ irri-
tam esse, etiam si corporalia bona non
eodem modo dantur, & Deus uult Ec-
clesiam cruci subiectam esse. Non est
tamen irrita petitio, Sed uel liberatio-
nem uel mitigationem impetrat, iuxta
illa dicta, Prope est Dominus omnib.
inuocantibus eum, omnibus inuocan-
tibus

tibus eum in ueritate. Et Matthei 21.
Omnia quæ petitis in oratione, cre-
dentes accipietis.

21 Credentes inquit. Fides autem no-
minatim petit & accipit reconciliatio-
nem. Sed de bonis corporalibus petit
in genere mitigationem, quia scit Eccle-
siam oportere subiectam esse cruci.

22 Sit autem & spes adiuncta fidei,
qua expectemus uel liberationem, uel
mitigationem in hac uita, etiam cum
moræ longitudo languescit animum,
Abacuc 2. Si moram fecerit, expecta
eum, quia ueniens ueniet & non tarda-
bit. Item Iudith, Qui estis vos, qui ten-
tatis Deum, constituistis Deo tempus
&c.

23 Et si non liberamur in hac uita ut
uellemus, tamen retineri oportet fidem
dilectionem & spem uitæ æternæ, iuxta
dictum Iob. Etiam si occidet me, tamen
sperabo in eū. Verum tamen uias me-
as coram eo arguam, & ipse erit salua-
tor

tor meus, Nec intrabit coram eo ullus
Hypocrita.

24 Quarta commonefactio est, ut res
petendas cogitemus, scilicet bona ne-
cessaria uniuersæ Ecclesiæ, & nobis pri-
uatim, & nostris familijs spiritualia &
corporalia, quia Deus etiam bonæ cor-
poralia promisit, & uult à se peti pro-
pter has quatuor causas, quarum prima
est, Vt agnoscamus non dominari ca-
sum in his bonis, sed hæc etiam consilio
Dei distribui, ut in Psalmo dicitur, ut
alat eos in fame, & Deum eorum condito-
rem esse. Secunda, ut fides exerceatur
petitione horum bonorum. Tertia, ut
promissiones corporalium bonorum
sint commonefactiones de promissio-
ne gratiæ. Seruantur enim corpora, fa-
miliæ, politiæ, ut colligatur æterna Ec-
clesia. Et in petitione corporalium bo-
norum semper necesse est prælucere fi-
dem, quæ accipit remissionem. Quar-
ta, hæ ipsæ promissiones corporaliū bo-
norum testantur Deum in hac uita ser-
uaturum

uaturum esse Ecclesiam, Itaq; nō solum
nostra causa petantur, sed & propter
communem Ecclesiæ necessitatem.

25 Sit igitur inuocatio, non ociosa
βαηολογία, sed commonefacti ingentib.
miserijs nostris petamus res necessari-
as, & agamus gratias Deo pro beneficijs
sicut Paulus hæc nomina coniungit
δέσεις, προσευχάς, ἐντεύξεις, εὐχαριστίας. quæ
opinor ita recte discerni, sint δέσεις de-
precationes, ut mala auertantur, προσευ-
χὰι vota ut bona dentur, ἐντεύξεις inter-
pellatiōes pro alijs, εὐχαριστία gratiarum
actio, quæ est confessio Deo debita qua
testaris te non casu, non solis humanis
consilijs aut præsidijs seruatum esse, sed
Deum uere fuisse autorem & gubernas-
torem beneficij, & hac commemorati-
one ipsum celebras, & te ipsum doces,
ualde multa accidere homini inextrica-
bilia humano consilio, in quibus præsen-
tiam Dei & mirandas liberatiōes expe-
rimur, iuxta illud, Cum nescimus quid
agendum sit, ad te Deus oculi nostri tol-
luntur

luntur, ac te & alios ad timorem Dei,
ad fidem, & ad celebrandum Deum
inuitas.

26 Quinta cōmonefactio est, Ne ho-
nos Deo proprie conueniens tribuatur
ulli rei quæ non est Deus, iuxta illud, Nō
habebis Deos alienos. Item Dominū
Deum tuum adorabis, & ei soli seruiēs.
Tribuit aut̄ inuocatio absentis omni-
potentiam ihs, qui inuocantur: Quare
homines mortui nequaquam sunt inuo-
candi.

27 Memini Reuerendū D. Lutherū
dicere, Si nulla alia causa esset execran-
di inuocationem mortuorū, hanc unam
fatis magnam & grauem causam esse,
cur piæ mentes ualde odisse & detestari
eum ritum debeant, quod obscurauit
argumentum de Messia diuinitate sepe
repetitum in Prophetis. Cum iubent
Messiam inuocare, significant omnipo-
tentem & natura Deum esse.

28 Horrenda scelera sunt, pugnantia
cum

cum primo præcepto, fingere numina,
quæ non sunt, uel habere Epicureas
opiniones, uel in uero cultu externo
ueri Dei, ut in inuocatione ueri Dei, re-
tinere diffidentiam, Quid petis, cum
Deus te non recipiat, te non exaudiat?
uel fingere cultus nouos, etiam si inten-
tio est, uelle uero Deo tales honores
tribuere. Et maior impietas est, cum
additur persuasio de merito aut placati-
one, ut Iudei cumulabant sacrificia, con-
debant excelsa. Sic uota Monachorum
facta sunt, uel cum signa uertuntur in
Deos, ut Persæ ignem sacrificij finge-
bant esse ipsum Deum.

Ceterum prodest narrationes uere
scriptas de Sanctis, & quidem continu-
am Ecclesiæ historiam omnibus notam
esse, & sepe multumq; cogitari, Primū
ut discamus, quomodo se Deus patefec-
erit, & per quos tradiderit doctrinam,
& quæ doctrina, quo ordine, quibus te-
stimonijs tradita sit, deinde ut gratias
agamus Deo, quod se patefecit, quod
perpetuo

perpetuo colligit Ecclesiam, quod ex-
citauit doctores & custodes doctrinae,
quod suam praesentiam in Ecclesia o-
stendit mirandis liberationibus, quod
pulcherrimarum uirtutum exempla in
Sanctis proposuit. Videndum etiam
quid quisque docuerit, quomodo inuo-
catione sua & confessione nos confir-
met. Pro his donis Deo agenda sunt
gratiae, & petendum a Deo, ut nos
quoque sic regat & iuuet, & confirmen-
tur in nobis fides, spes, tolerantia illo-
rum doctrina & exemplis. Imitemur &
diligentiam eorum in sua quisque vocati-
one, & in regendis moribus. Laudetur
& in ipsis haec cura, quod non furen-
ter effuderunt dona Dei, sed Deo
eos gubernanti ad sensu sunt,
& tanquam obsequen-
tes remiges labore
suo cursum a
Deo inci-
tatum
adiuuerunt.

Deū rogā.

9
193469

ULB Halle 3
004 396 014



Sp.

710







DISPVTA
TIO DE INVOCATIONE.

M. D. XLIX.

DE INVOCATIONE.

Semper orate, & non
defatigemini.

Philip. Melancthone Autore.
VVITEBERGÆ.

3

